

SCRIPTA

Numéro Scripta : 178

Auteur(s) : Guy [particulier]

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...997, 12 avril...

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Charte par laquelle Guy, avec le consentement de son épouse Ramburgis et des fils de celle-ci : Hugues, Goscelin et Héribran, vend à l'abbaye du Mont-Saint-Michel les deux tiers de l'église de Centrannis

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bertrand de Broussillon Arthur, *Cartulaire de Saint-Michel de l'Abbayette, prieuré de l'abbaye du Mont-Saint-Michel (997-1421)*, Paris, Picard, 1894, n° 2, p. 12-13.

Dissertation critique

Datation proposée par A. Bertrand de Broussillon.

Texte établi d'après a

In nomine sanctae et individuae Trinitatis.

Antecessorum nostrorum auctoritate constitutum atque decretum est ut, si quis suarum quiddam facultatum alicui sanctorum loco vel donaverit pro suae salute animae, vel vendiderit, exinde litterale testamentum plurimarum sed veracium receptibiliumque corroborationibus assignatum sollempniter faciat, quatinus ab omnium pravorum postmodum successorum contradictionibus intemerata inviolabilisque ipsa seu donatio seu venditio, perseverabiliter permaneat.

Quapropter ego Vuido nostris presentibus quam futuris omnibus quippe Christianitatis insignitis titulo notum esse volo quod monachi sancti Michaelis, abba scilicet Mainardus et alii sui subjecti, me adientes postulaverunt ut loco ejusdem Sancti Michaelis duas partes ecclesie Centrannensis venderem quas ipsi, antecessore meo vivente, in vadimonio tenuerant ; sed, eo mortuo cum uxore ex cujus erant dotalicio, ipsae duae partes predictae ecclesiae ceterisque beneficiis ad me redierant. Quod primo aliquantulum contradicens, tandem, victus precio atque oracionibus quas pro meo antecessore assidue faciunt, quas si aliter facerem ei auferrem, eis consensi vendidi itaque eidem loco Sancti Angeli, cum consensu meae uxoris Rainburgis et filiorum ipsius meique predecessoris : Hugonis, Goslini, Heribranni, ipsas duas partes predictae ecclesie, scilicet quicquid ex ipsa ad meam pertinebat potestatem, ipsi perpetualiter loco et omnibus fratribus ipsi loco servientibus possidendas, ut habeant et teneant et possideant sine contradictione tam presentium quam futurorum omnium, sive parentum, sive quorumque amicorum.

Sin autem aliquis meorum successorum aliquando diabolicæ pravitatis stimulatus aculeo, ei loco atque fratribus exinde aliquam injuriam vel calumpniam facere presumpserit, totius excommunicationis atque anathematis inreiciatur vinculis.

Ut autem hujus venditionis corroboratio veracius credatur et perfectius per omnia conservetur firmissime futuris temporibus teneatur, manibus propriis ego et uxor mea et predicti filii subter firmavimus dominoque meo Hugone atque episcopo ceterisque principibus domini mei firmandam tradidimus.

Hugonis comitis sig. Mainardus sig.

Seinfredi episcopi sig. Guillelmus sig.

Isaac sig. Hubertus sig.

Droco sig. Hubertus clericus sig.

Radulfus vicecomes sig. Haimelinus sig.

Harduinus sig. Hugolinus sig.

Haimo sig.